



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Frid. Adolphi Lampe S. S. Theol. Doct. Ej. Et Hist. Eccl.
Professoris Ordinarii, Delineatio Theologiæ Activæ**

Lampe, Friedrich Adolph

Herbornæ Nassaviorvm, 1728

Caput IV. De Conversione a servili Timore ad Spem certam promissionum
Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28501

mini in ultimo iudicio deteget Luc. XIII. 25. 26.
Matth. xxv. 44. 45.

LII. Sunt tamen *criteria*, ex quibus aliquis in seipso Fidei suæ certitudinem potest adipisci.

(1) Ex natura *formalis actus* Fidei sequitur:

(a) Quod sincera Fides illa tantum sit, quæ Christum *solum* amplectitur, quod locum non habet, nisi nobis ipsis & omnibus creaturis renunciemus.

(b) Quod vera Fides Christum *totum* apprehendat, adeoque non solum ut Sacerdotem, sed etiam ut Prophetam & Regem summum.

(2) Ex natura *initii*, unde Fides se exferere incipit, fluit, quod desiderium unionis cum Christo fortius esse debeat, quam ullius rei in toto mundo.

(3) Ex natura immediatorum Fidei *fructuum* conficimus, quod non sit genuina Fides, nisi quæ per amorem est efficax.

CAPVT QVARTVM.

De Conversione a servili Timore ad Spem certam promissionum Dei.

ARGUMENTVM.

Post transitionem, quæ nexum indicat §. I. describitur

I. TI-

I. TIMOT SERVILIS 2---10.

A. *Quoad irrogenitos* 2---9.

1. *Definitio ejus* 2---8.

a. *Proponitur* 2.

b. *Deducitur* 3---8.

α. *Objectum ejus exhibetur* 3. 4.

β. *Actus secundum diversos gradus distinguitur* 5---8.

Ν. *Levior* 5.

Γ. *Gravior* 6---8.

a. *In se consideratus* 6.

b. *In effectis suis* 7. 8.

2. *Gravitas ejus exaggeratur* 9.

B. *Quoad regenitos* 10.

II. SPES VIVA 11---22.

A. *In se considerata* 11---20. *Ejus docetur.*

1. *Indoles vera* 11---16.

a. *Per definitionem* 11.

b. *Per ejus deductionem* 12---16. *in qua occurrit*

α. *Objectum Spei* 12.

β. *Actus ipse* 13---16. *ejusque*

Ν. *Fundamentum* 13. 14.

Γ. *Modus* 15. 16. *comprehendens ejus*

a. *Formam* 15.

b. *Gradus* 16.

2. *Momentum hujus Virtutis demonstratur* 17---20.

a. *Relate ad alias virtutes* 17. 18.

b. *In se ejus considerando decentiam* 19. 20.

B. *Collata cum Spe spuria* 21. 22. *que*

1. *Definitur* 21.

2. *Criteria addantur* 22.

Ν 2

I. Cum

I.

Cum ex dictis pateat, quomodo Fides totam *Voluntatem* occupet, manifestum inde evadit, quod aliam formam singulis ejus operationibus inducat, adeoque tum *judicium*, & præcipue *Conscientiam*, quæ in eo testatur, tum *Propensionem* ejus innovet. Quoad conscientiam opus Conversionis per Fidem promovetur, quando loco *Timoris servilis*, qui a natura eam occupavit, *Spem vivam* producit, quæ oppositum plane omnium reliquarum actionum fundamentum ponit. Timor alias *Conscientia mala*, *Spes Conscientia bona* dici solet, quoniam ex his causis proxime diversi hi animi motus derivantur.

II. METUM SERVILEM nominamus, ad eum distinguendum a *timore filiali*, de quo infra agetur, perversum illum animi habitum, qui Deum ut *Hostem* & *Judicem* considerat, a quo nihil aliud quam *vindictam* expectat, quam aut effugere, aut *falsis mediis avertere* contendit.

III. *Objectum* Metus hujus adeoque est Deus, consideratus ut *Hostis*, qui per peccatum læsus est, & ut *Judex* severus, qui ad pœnam infligendam paratus est; idque tum in *judicio extremo*, Job. xxiv. 17. Ps. lxxiiii. 9 tum in variis *judiciis specialioribus*, quæ sæpe immittit. viii. 12. In his autem non tam *immediate* Dei timetur ira, quam *mediate*. Nam

(1) *Creatura* & speciatim *homines* timentur, quorum ministerio Deus ad judicia sua immittenda utitur, Jes. li. 12. 13. Matth. x. 28. 1. Petr. iiii. 14.

(2) In-

(2) Insolita prodigia & somnia exemplo Bel-
fazaris Dan. v. 6. Job. i v. 14. 15.

(3) Quin saepe *umbra* tantum & *strepitus folio-
rum* Lev. xxv. 36. quoniam, qui Deum adver-
sum habet, nihil alicunde boni expectare
potest.

IV. Objectum hoc non semper æque clare
menti obversatur. Sunt enim, qui sopore *securi-
tatis* obruti periculum, in quo versantur, non
animadvertunt, uti visum est Lib. I. cap. 3. §. 18.
Nihilominus *fundamentum* hujus *timoris* in illis
ipsis non solum adest, & quoties vel leviter tan-
tum expergiscuntur, detegitur, sed etiam consci-
entia ipsa tales impellit, ut omne sui ipsius exa-
men evitent, quia non dubitant, si istud susce-
pturi essent, quod inquietudinem sibi inde essent
causaturi.

V. Ubi autem objectum hoc clarius innotescit,
ibi diversi *Metus* hujus gradus observari possunt.
Levior timor illos occupat, qui in salutis suæ *in-
certitudine* versantur, neque tamen tanto implen-
tur terrore, quantum periculi magnitudo requi-
rit, quamdiu vana Spes aut vitæ longioris aut
Conversionis futuræ Timorem temperat.

VI. *Vehementius* autem *timor servilis* se prodit
& cum *anxietate* est conjunctus, quando consci-
entia per imminens judicium Dei aut *temporale*
aut *æternum* fortius excitata periculum impendens
efficacius ob oculos ponit Jes. xxxiii. 14. Prov.
1. 27. Certo respectu hic *Timor* non est rejicien-
dus. Nam per se est æquissimum, ut ira Dei ti-
meatur Nah. 1. 6. Et *terror Domini* est medium a

Conversionem 2. Cor. v. 10. Diversis effectis hæc anxietas mentis proditur.

VII. Sunt, qui *effugere iram Dei* tentant, instar Protoplastorum Gen. 111. 8. idque diversimode

(1) Quoad *judicia temporalia* per confugium ad brachium carnis Apoc. v. 1. 15. 16.

(2) Quoad *judicium æternum* aut per vana carnis *effugia*, quibus induratio adaugetur, uti visum est Cap. 1. §. 16. sq. aut per *desperationem*, uti Kainus, Judas, ipseque Diabolus Jac. 11. 19.

VIII. Alii falsis mediis placare iram Dei adnituntur, aut per meram *pœnitentiam externam* instar Achabi & regis Ninivitarum, aut per *Superstitionem*, cujus vera mater hic Timor est. Nam *primus in orbe Deos fecit Timor*.

IX. Quanta sit hujus vitii *gravitas*, liquet

(1) Quia effectus & certum *criterium* est *Incredulitatis*. Cum enim Fides Deum consideret, veluti in Christo propitius peccatori esse vult, hanc veritatem abnegat, qui Deum simpliciter ut *Judicem severum* sibi proponit.

(2) Quia *radix* est cœterorum vitiorum, dum *expellit amorem* 1. Joh. 1 v. 8.

(3) Quia nihil aliud est, quam *perversa philantia*, quæ illas catenas mordet. quibus a plena concupiscentiæ pravæ exsatiatione impeditur, neque veram cum Deo pacem sed liberationem tantum a molesta pœna pro scopo habet.

X. Ex ipsis fidelibus non semper expulsus est, qui ab eo revocantur Gen. xv. 1. Jes. viii. 12. xliiii. 1. Joh. xiv. 1. Reliquiæ enim *incredulitatis*, quas Cap. præcedenti §. 16. descripsimus, efficiunt

ciunt in ipsis reliquias *Timoris servilis*, quamvis omnium minime convenientes cum *Oeconomia N.* T. in qua cum *timore mortis Spiritus timoris* est ablati Hebr. 11. 14. Luc. 1. 74. Rom. v 111. 15.

2. Tim. 1. 7. Suboritur autem facile hic Timor
(1) Quando de Fidei suæ sinceritate dubitant.

(2) Quando in tentationibus & afflictionibus hujus vitæ nimis animum despondent, exemplo Jobi 1x. 34. x111. 21. xxx. 15.

(3) Quando Adventum Domini formidant 2. Theff. 11. 2.

(4) Quando ad insolitos quosdam eventus & prodigia nimium perhorrescunt, sive veros, quemadmodum Daniel cap. v 111. 17. Petrus Luc. v. 8. 9. & Joannes Apoc. 1. 17. sive imaginarios, veluti discipuli *spectrum se videre* putantes Matth. xiv. 26. Luc. xxiv. 37.

XI. SPES, quam inter principales Virtutes Scriptura recenset, Græcis ἐλπίς, αἰσδοξία, Hebræis תְּקוּוָה *expectatio* dicitur. Lxx. eam aliquando ponunt pro כַּסֵּף vel מַכְסָּף *fiducia* & pro מַחְסֵה *refugium*, quoniam his Fidei actibus intime innexa est. Denotat autem hic non nudum affectum transeuntem, qualem Boni cujuscunque, quod expectatur, consideratio producit, sed per emphasin *illum anima habitum per Spiritum sanctum in credentibus productum, quo de summa beatitudine ab ipsis in communionem cum Deo possidenda per promissiones divinas certiores facti, in ejus expectatione vite versantur.*

XII. *Objectum Spei sanctæ est bonum futurum,*

N 4

Nam

Nam spes si cernatur, non est spes: quod enim quis cernit, cur speret? Rom. v. 11. 24.

(1) In hac vita fideles sperare possunt:

(a) In genere augmentum & conservationem Bonorum Gratia, quæ ipsis concessa sunt.

(b) In specie aut sibi ipsis redemptionem ex præsentis afflictionis statu, aut Ecclesiæ gloriosum statum post hostes devictos Mich. v. 11. 2. Jes. xxv. 9. xxvi. 8.

(2) Potissimum Spes tendit in Bonum futuræ vitæ 1. Cor. xv. 19. & sigillatim in resurrectionem mortuorum Act. xxiii. 6. xxxiv. 15. in adventum Christi Tit. ii. 13. 1. Petr. i. 3. in vitam æternam Tit. i. i. iii. 7.

XIII. Actus spei cum consistat in expectatione & quidem certa Hebr. vi. 11. quæ non pudefacit Rom. v. 5. ante omnia fundamentum ejus meretur considerari, quod Deus esse debet. Hinc Spes hæc describitur ut *expectatio febovæ* Ps. xxvii. 14. xxxix. 8. xlii. 11. xliiii. 5. lxxviii. 7. Et *febovæ* dicitur *expectatio suorum* Psal. lxxxi. 5. cxlvi. 5. Jerem. xvii. 13.

XIV. Dupliciter autem in Deo est fundamentum Spei:

(1) Quoniam Bonum promissum *potest* dare per suam omnifufficientiam, & per vim *meriti Christi*, quod facit, ut etiam decenti modo id dare possit. Unde Christus *Spes illa gloriæ* dicitur Col. i. 17.

(2) Quoniam id *vult* dare propter Testamentum pacis, cujus tenor tam per *testimonium extrinsecum*, quam *intrinsecum* innotescit.

(a) *Extrinsecum* extat in verbo Evangelii Psal.

CXIX. 114. 116. Col. I. 23. Rom. xv. 4. & sigillatim in luculentissimis promissionibus, quibus carentes Gentiles *spem non habebant* Ephes. II. 12.

(b) *Intrinsicum* est Spiritus sancti in cordibus credentium testantis, quod ad Boni hujus hereditatem vocati sint Ephes. I. 17. 18. IV. 4. Et huic *duplici* fundamento innixam *Spem* Apostolus considerat *ut anchoram tutam ac firmam, ingredientem intra velum.* Hebr. VI. 19.

XV. *Expectatio* autem, quæ formalem Spei actum constituit, involvit:

(1) Plenam animi de Boni, propter cujus absentiam fideles statum suum ut imperfectum considerant, *certitudinem* Rom. IV. 18. 20.

(2) *Latitiam* inde prognatam, quam non solum *presens*, sed etiam *futurum Bonum* producere potest pro *magnitudinis* ac *certitudinis* suæ mensura. Prov. x. 28. Joh. VIII. 56. Rom. XI. 21. Sic lætitia piis *seritur* Ps. xcvi. 11.

(3) *Desiderium*, quod magnitudo Boni futuri cum præsentis miseria collati efficit 2. Cor. V. 1. 2.

(4) *Patientiam* in voluntate Dei, quæ Bonum nondum actu sistit, sed in futurum reponit & ad ejus possessionem per afflictiones præparat, acquiescentem Rom. xv. 4. 1. Thessal. I. 3. Jes. xxviii. 16. Patientia hæc cum desiderio intime conjuncta illud temperat Rom. v. 11. 23 -- 25. 2. Petr. III. 12. Quo facit elegantissimum emblema *agricola expectantis pretiosum fructum terræ* Jac. v. 7.

XVI. Cæterum *gradus* in Spe, æque ac in Fide

N 5

distin-

distingui possunt. Cum enim *testimonio divini*, itidem innitatur, prout illud minus magisque innotescit, ipsa etiam Spes minor majorve est. Fundamentum quidem Spei in omnibus creditibus adest, se non æque clare animadvertitur.

(1) *Obscurior* adeoque est

(a) In illis, qui hactenus nonnisi testimonio *extrinseco* nituntur, quoniam *intrinsecos* Spiritus sancti effectus nondum pro talibus agnoscunt.

(b) In illis, qui *dubitationum* novarum fluctibus sub tentationum tempestatibus jactantur.

(2) *Clarius* Spei apparet fortitudo in illis, qui totum testimonium Dei tam in verbo quam in cordibus suis percipiunt. Præcipuum hujus Spei robur apparet in afflictionibus exemplo Abrahami Rom. 1 v. 11. & Jobi Cap. xiiii. 15.

XVII. Singulare catenæ Virtutum Christianarum robur hæc Spes conciliat. Nam

(1) *Effectus* est tum veræ Conversionis, seu Regenerationis in genere 1. Petr. 1. 1. tum in specie *Fidei* Tit. 1. 1. Rom. xv. 13. 2. Thess. 11. 16. unde inter *criteria* status Gratia insignem usum habet.

(a) Eadem est *radix* omnium virtutum sequentium.

(a) Bonum enim, quod exspectat, est summus veræ sanctitatis gradus. Hinc *hereditas in-contaminata* 1. Petr. 1. 4.

(b) Quare etiam ut fidelis ejus compos, atque ad ejus possessionem idoneus reddatur, ad sanctificationem promovendam illum impellit. *Quisquis*

quis hanc spem habet in Deo, illo seipsum purificat, sicut & ille purus est 1. Joh. 1. 3. Quam in rem eundem excitat, ut oculos mentis in præmii seu brabei propositi splendorem defigat, cujus magnitudo non potest non currenti calcar addere Rom. VIII. 18. Hebr. XI. 26.

XVIII. Ordo hic inter *Spem* & cætera officia differt ab ordine, qui in Fœdere Operum obtinuit. Cum enim in eo exspectatio vitæ aternæ a conditione sancti Legis implementi suspensa esset, *Spes Amorem* sequebatur. Hic autem illum antecedit, quia peccator, ut eo clarius agnoscat, quod nihil per vitam sanctam promereatur, non tam ut sperare queat, *amare*, quam ut amare queat, *sperare* jubetur. Eatenus tamen *Spes* reciproce per *Amorem* juvatur, quoniam ex Amoris Incremento de Spei soliditate experimentum capitur.

XIX. Exercitium hujus Virtutis corrumpunt *Pseudo-Mystici*, qui omnem præmii exspectationem rejiciunt. Sed in Scriptura exerte mandatur 1. Tim. VI. 17. Et decentia ejus facile probari potest.

(1) A parte Dei, ipse sapienter Legem suam præmii promissione sanxit, non ut vitioso hominis affectui palpum obtruderet, sed ut habitum sanctum in eo produceret.

(2) Ipse tali Spe *honoratur*; *tum* quia omnifufficiencia, veracitas, aliæque Virtutes divinæ per illam agnoscuntur; *tum* quia Bonum, quod speratur, est ipsa Dei glorificatio. Est *spes gloria Dei* Rom. V. 2.

(3) Huic Spei a nostra parte desiderium summi

mi Boni, quod voluntatem hominis a natura occupavit, analogum est.

(4) In illa singularis dignitas Christianorum versatur, quo facit emblemata *galeæ* Eph. vi. 17. coll. 1. Theff. v. 8.

(5) Accedunt exempla, tum ipsius *Servatoris* Hebr. xxi. 2. tum aliorum Sanctorum, qui etiam prope ad metam in stadio sanctitatis perlatis, hac Spe fulciebantur. Sic Abrahamus Hebr. xi. 10. Sic Paulus 2. Cor. iv. 17. 18. 1. Tim. iv. 10.

XX. Obligatio ad hanc Virtutem non parum intenditur in Novo Testamento.

(1) *Objectum* Spei longius remotum erat, quoniam Servator primo in carnem venire debebat. Hinc fideles V. T. describuntur ut *προηλπικότες* Ephes. 1. 2. *expectantes Praeconem cunctantem* Habac. 11. 3. & *Regnum Dei* per illum erigendum Luc. xxiii. 51. xxiv. 51.

(2) *Fundamentum* spei erat *obscurius*, quoniam promissiones vitæ æternæ erant *pauciores*, sub externorum bonorum Canaanis involucro latentes ac saepe per timorem mortis interruptæ. Hinc considerantur ut *vinceti Spe* Zach. ix. 12. cum fideles N. T. per meliorem spem ad Deum accedant Hebr. vii. 19. 2. Cor. 111. 12.

XXI. Sed datur etiam *Spes spuria*, quæ dicitur *Expectatio impiorum* Job. vii. 13. Prov. x. 28. collata eleganter *herbæ palustris* Job. vii. 11. 12. 13. & *domui araneorum* Ibid. vi. 14. cui opposita est *Spes viva* 1. Petr. i. 3. *bona* 2. Theff. 11. 19. & *certa* Phil. 1. 20. Spes hæc *spuria* gradus diversos habet.

(1) Quidam Spem fovent *obscuriorem*, nempe qui

qui agnoscunt, quod solida Spei fundamento hactenus careant, neque tamen diffidunt, se illo aliquando potituros esse. De his actum est Cap. 1. §. 21 --- 25.

(2) Altiores radices egit Spes illorum, qui inter vere conversos & credentes se collocant ibid. §. 28. sq. Unde officium suum esse putant, ut optima quæque sperent, atque illis succensent, qui fabulosum ejus fundamentum ostendunt.

XXII. Conferenda ergo accurate *Spei solida Criteriæ*: quæ inter pertinet.

(1) Quod *presupponat sinceram Conversionem & Fidem veram*, quæ sunt origo hujus Spei & quarum Criteriæ Cap. 1. §. 9. & Cap. III. §. 12. hic redeunt.

(2) Quod *objectum purum* requirat, non in auro Job. xxxi. 24. nec in divitiis incertis, aut brachio carnis, aliisque prærogativis externis, sed solo Deo vivo 1. Tim. vi. 17.

(3) Quod *fundamentum solidum* adesse debeat, nempe testimonium Spiritus sancti, qui per operationes suas internas est *arrhabo hereditatis nostræ* Eph. i. 14.

(4) Quod *effectum* debeat probari, qui est tum generatim sanctificationis promotio, tum speciatim contemptus omnium rerum præsentium & caducarum esse debet. Qui enim tantam spem in futura æternitate, in cujus limine versatur, repositam habet, ille non ad visibilia, sed ad invisibilia respiciet 2. Cor. iv. 18. & nec malis præsentibus valde turbabitur, nec bonis hujus vitæ multum afficietur.

CAPUT